



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XXXIX. De tertio Virtutum signo. Quòd defunctis ante resectionem  
orare instituerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT XXXIX.

*De tertio Virtutum signo. Quòd pro defunctis ante  
refectionem orare instituerit.*

**E**T quia præmemoratus devotus Prior libenter consueverat pro defunctis orare, idcirco etiam voluit, ut quodocunque Fratres ejus pro sumenda refectione aut collatione ante Refectorium consisterent, ibidem mente revolverent, quomodo in Purgatorii flammis animæ pro peccatis, & negligentijs suis punirentur, & quia cum materiali eleemosyna ipsis in solatium, & levamen suarum pænarum subvenire non possent, misericordiâ moti saltem eleemosynam spiritualem, videlicet Psalmum *de profundis*, cum Collecta Defunctorum, aut cum tempus pateretur Psalmum *Miserere*, cum prædicta Collecta, prout sibi ipsis in talibus pænis constitutis fieri vellent, illis ministrarent. O quàm benè agit ille Frater, qui spiritualem eleemosynam ante suam refectionem illis animabus ministrat! Dictus insuper etiam Prior in Refectorio ad mensam sedens quàm intentus Lectioni fuerit, nobis, qui præsentem eram, certis indicijs manifestum fuit, & dum specialiter ad devotionem & fervorem permotus ibidem à deserviente legeretur, illum recenseri fecerat ab auditoribus, & per hoc attentos Fratres faciens, ut si fortè in alijs tum temporis lectis extitissent negligentes, saltem repetitum punctum attentius considerantes ad cellam mentaliter deportarent, insuper idem Prior ad majorem fructum spiritualem percipiendum parietibus quædam scripturarum puncta affigi fecit.

CAPUT XL.

*De quarto Virtutum signo. Quòd singulari amore erga  
fidem catholicam flagravit.*

**C**ùm de fide catholica aliquid sibi legeretur speciali gaudio vehementer exultavit: etiam multum prædictus Prior ponderabat Domini DEI voluntatem, & quodocunque eam noverat, ut  
in